

transissent, essent relinquendi, Livianus ad legatos conversus, *Agite*, inquit, *si cunctari hic volumus, scribite ad Senatum, decies millies auri libras paratas habeat, quibus producere bellum possit*. Qua de contentione Senatus certior ab legatis factus, petentibus ut quid fieri malit imperet, literas ad illos dat, eam se rem imperatori Livianoque permittere, qui rebus omnibus intersint: & moram se & fluminis trajectum ita probaturos, uti ipsum alterutrum e reipublicæ commodo susceperint. Interim Julius, qui Ursinæ gentis duces, ne ad reipublicæ militiam accederent, partim minis, uti supra demonstratum est, edictisque terruerat, partim per filiam suam Felicem, quæ Joanni Jordano ejus familiæ principi nupserat, precibus & fœmineis consiliis ab itinere instituto revocaverat, stipendiaque sibi ab reipublicæ legatis Romæ curata ne restituerent, interdixerat, data eis venia jure illa retinendi, fideique præstandæ religione sublata: præter quod exercitum in fines reipublicæ introduxisset, ad illud etiam pertinaciter descendit, ut Lauredano Principi, Senatuque omni Veneto, & civibus singulis aqua & igni interdiceret; ejusque rei literas omnibus hominibus vulgandas proponeret maledictorum & execrationum plenas, nisi die præstituta, non Faventiam modo atque Ariminum, sed Ravennam quoque Cerviamque sibi tradiderint: quæ quidem oppida centum ferme annos in reipublicæ imperio fuerant: neque ullus ea Pontifex Maximus in dubium revocaverat, quin jure a republica possiderentur. Qua intellecta re, ne plebs ejusmodi literis, plus quam tempora & reipublicæ difficultates postularent, permoveretur, Senatus cavit, ne reciperentur, ne ve, qui afferrent, admitterentur. appellavit etiam de eo futurum Concilium, missis Romam affixisque in templorum foribus publicæ expostulationis literis: missis etiam in Pannoniam ad Thomam Cardinalem Strigoniensem: nam ei propter Patriarchatum Constantinopolitanum, cui præerat, una cum tribus Episcopis concilium cogendi jus potestasque antiquitus erat attributa. Has ob res & belli Gallici pericula

*Julii in
Venetos in-
terdictum.*

sup-